

Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, antedictorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (titl.), in Generali Eorundem, pro 31. Augusti et sequentibus Septembris Mensium Anni 1767 diebus, in libera Regiaque Civitate Varasdinensi, Congregatione celebrata conclusi.

Articulus Primus.

De novi Protho-Notarij Regni Electione.

Domino Nicolao Skerlecz de Lomnicza, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliario, ob cumulata distincta merita sua, quae diversa Regni Politica officia, signanter autem et ultimo Protho-Nothariatum Regni quadriennio et quod excedit, eximia sui cum laude, publici vero plena satisfactione gerendo, sibi comparavit, in Regio in his Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis neo-erecto Consilio ad Consiliariatus ac una Cancellariae Directoris honorem de Gratia Regia sublimato, ac ob id Protho-Notariatus officio valedicente, unaque tam Regni quam Banalis officij Sigillo, cum actis Regni et duplici Clavi, in publico resignante: ex Candidatis per Suam Excellentiam Banalem Dominis Joanne Capistrano Adamovich, Comitatus de Veröcze ordinario Vice-Comite, et Petro Spissich de Japra, Tabulae Banalis Assessore, utroque Suae Majestatis Sacratissimae Consiliario, ac Nicolao Bedekovich de Kümor, Emerito Comitatus Varasdinensis Ordinario Vice-Comite et Generalis Regni Cassae Exactore, Dominus Consiliarius Petrus Spissich, Spectatis qualitatibus suis, pluralitate votorum in eorundem Regnorum Magistrum Protho-Notarium electus est; qui etiam Dominis Statibus et Ordinibus Regni praestito solito juramento fidei et integritatis suae, concredita Regni et Banalis officij Sigilla, clavesque ab Archivo et cista Privilegiorum Regni cum actis Protho-Nothariatus officij recepit.

Articulus Secundus.

De Regij in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae neo-erecti Consilij publicatione et inarticulatione

Bina Suae Majestatis Sacratissimae, unum de 1. et aliud de 11. Mensis Augusti anni labentis, et antierius quidem ad Inclytos Dominos Status et Ordines Regni, posterius vero ad Suam Excellentiam Banalem, directa rescripta, quibus mediantibus Sua Majestas Sacratissima Benigne ad postremam sub 13. Julij e Generali Congregatione factam humillimam in merito neo-erecti Regij in Regnis his Consilij rescribere, unaque significare dignatur: quod expensis etiam rationum per Dominos Status et Ordines Regni circa ejusdem Consilij erectionem adductorum momentis, tum altissimi Servitij sui Regij, tum Boni publici a consequenti ipsorum etiam horum Regnorum utilitatis et commodorum rationem exposcere, ut Sua Majestas Sacratissima priori Regiae resolutioni Suae inalterabiliter ultro Benigne insistat, atque ita juramento etiam per Suam Excellentiam Banalem, qua ejusdem Regij Consilij Praesidem, in Praesentia Sua Regia jam deposito existente, suam benignam et constantem voluntatem illam esse: ut quemadmodum